

† R. P. Iosephus Cesaretti (1877-1954)

(*Prov. Romanae*)

In sua de anteriore vita relatione P. Cesaretti scribit: « Sola cogitatio praedicationis mihi timorem incutiebat; verum considerans S. Teresiam, ut fertur, orando plures peccatores convertisse quam S. Franciscum Xaverium praedicando, animum meum confirmabam dicendo mihi me pariter orando redemptorianam meam vocationem impleturum esse ».

Quidam confrater vivus defuncti confratris optimas qualitates ex certa sua scientia ita complectitur:

1) P. Cesaretti erat religiosus amans orationis. Frequenter Dominum eucharisticum visitabat sive in ecclesia sive in sacello. Etiam postrema vitae hieme adeo gelida complures cotidie horas orando in choro transigebat.

2) Fulgebat in eo proximi amor. Nunquam audiebatur alios vituperare. Cum esset indolis irascibilis, post primum talem motum statim ac semper denuo subridens ac quietus apparebat. Sub omni caeli temperie, inter imbras nivesque, suos aegrotos invisebat, idque etiam ultimo vitae tempore. Certo scitur eum vitam suam Deo obtulisse pro confratre graviter aegrotante.

3) Illud Imitationis Christi: *Ama nesciri et pro nihilo reputari* fideliter servabat. Peculiares honores ei aliquando tributi, uti in iubilaeis sacerdotii ac professionis, eius magnae humilitati quoddam tormentum erant.

4) Omni re contentus erat, nil aliud petens. Eius cubiculum erat omni re vacuum. In manducando et bibendo erat parcissimus. Licet aegrotans et frigora valde sentiens, tamen apparatu calefactorio uti nolebat, et ultima hieme ad id obligatus a Superiore, sibi concedebat usum valde limitatum.

5) Accurata eius observantia regularis cunctis erat aedificationi.

Iosephus Cesaretti erat unus e paucis nostris Marchianis (*Marcheggiani*) seu Picentibus, natus in oppido Civitanova Marche, haud procul a Sanctuario Lau-retano, d. 28 Dec. 1877, festo SS. Innocentium. Sexennis incipit scholam frequentare, et teste magistra est discipulus morigeratus, serius, taciturnus, atten-

tus. Ad quaestionem magistrae, cur domi nil scripsisset ac didicisset, tacet, aegre lacrimas suppressim, donec tandem manifestat veram rationem. Familia est pauperrima, et parvulus Iosephus omne tempus labori manuali dedicare iubetur.

Petit postea a parentibus veniam ingrediendi Seminarium, sed egestas id non permittit. Tum bona magistra sese offert et revera usque ad sacerdotium omnem pecuniae necessariae impensam facit. Diu vixit, mortua duobus mensibus ante suum discipulum et clientem, qui ei morienti ultima religionis solamina praebuit.

Iosephus noster etiam lauream theologiae consecutus est. Ordinatus est sacerdos d. 23 Mart. 1903 ac primam suam Missam celebravit in Alma Domo Lauretana, itemque, exactis decem lustris, suam Missam iubilarem. Servitio suae archidioeceseos Firmanae adscriptus, fuit primum cappellanus, dein parochus, sed cum parentes huius beneficii reditus liberos sibi potius exspectarent, ipse vero iudicaret eos aliis vel pauperioribus deberi, natum est in eius animo desiderium amplectendi statum religiosum. At ubinam? Apud Augustinianos? In Societate Iesu? Elegit nostram Congregationem, quam cognoscere coepit per P. Gabrielem Blanc (1), Provinciae Lugdunensis sodalem; qui a. 1912 exercitia spiritualia gallice praedicavit Monialibus a S. Ursula in urbe Porto Civitanova; erat enim Iosephus Cesaretti earum cappellanus et confessarius ordinarius. De eo P. Blanc scripsit Scifellos ad P. Magistrum Seraphinum De Alexandris: « Pro isto novitiatu receptus est sacerdos sanctae vitae et rarae modestiae ».

Circa finem huius anni 1912 iam Scifellis inter tirones erat, ibique vota emitit festo Immaculatae Conceptionis anni sequentis. Deinde explevit officia Lectoris iuvenatus, Confessarii nostrorum iuvenum, Ministri, Magistri novitiorum laicorum, Rectoris. Per 18 annos in Sicilia fuit, et in Catalogo anni 1948 apparebat inter sodales istius Provinciae, Praefectus Fratrum et Magister spiritus iuvenum in Castroreale. Reversus in Provinciam Romanam adscriptus est domui novitiatu Marzocca (Ancona), ibique post 5 menses supremum diem obiit d. 3 Mart. 1954.

Cum Sanctuarium Lauretanum a Marzocca tantum 42 kilometris distet, Deus omnia ita disposuisse videtur, ut bonus P. Cesaretti peregrinationem terrestrem finiret prope illam terrestrem Domum Dei, in qua Deus de caelo in terram descendit, ut homines de terra ad caelum ascenderent.

CIANCHETTI - HENZE

(1) *Gabriel Blanc*, n. 16.5.1880, prof. 23.12.1902, sac. 23.9.1903, m. ? 1.1918 in Varallo, phthisi consumptus. Per aliquot annos Romae adiuvit P. Leonardum Gaudé in editione critica Theologiae moralis S. P. N. Alfonsi, et potius ipsi debetur talis editio operis *Praxis confessarii*, quae invenitur in appendice Tomi IV et separatim quoque prodiit.